

S. BERNARDUS;

Super hymnum : *Jesu, nostra redemptio.*(R. P. Bernardi Pezii *Bibliotheca ascetica antiquo-nova*, tom. VI. Ratisbonne 1725, in-12.)

Tantus fuit amor! Si Christus Filius Dei vivi tot membra habuisset, quod sunt stellæ in firmamento cœli et unumquodque membrum suum corpus habuisset, omnia ad passionem Christus exposuisset, antequam unam animam in faucibus diaboli non redemptam reliquisset. O qualis et quanta est clementia Domini!

Quæ vicat clementia mei Jesu Christi, qui non minus diligit peccatorem conversum, quam eum qui peccati maculam nunquam contraxit.

Verbi gratia. Conversio peccatoris cibus et potus est Salvatoris.

Inferni claustra penetrans. Homo audacter dic : Peccavi! Non teterreat ira Principis, nec timor Diaboli, nec pœna infernalis, nec desperatio peccati enormis. Magis enim Judam desperatio quam peccatum quod commisit, damnavit.

Ipsa te cogat pietas. Peccavimus, et pepercit : offendimus, et adhuc placatus existit.

Tu nostrum gaudium. O bone Jesu, duo in me ignosce : naturam, quam fecisti, et peccatum, quod ego adjeci. Fateor quod per culpam deformavi naturam. Memento quod sum spiritus vadens et non rediens. Per me ivi in peccatum, per me redire non possum. Eia, benignissime Jesu! tolle a me quod feci, ut remaneat quod tu fecisti, ne pereat quod pretioso sanguine in tua cruce redemisti. Amen.

MONITUM IN OPUSCULA DUO SUBSEQUENTIA.

Librum sequentem ex codice membranaceo sæculi XIII luci mandamus, qui tractat *De passione Christi et doloribus, et planctibus Matris ejus.* Conscriptus est in forma dialogi, et num sit Bernardi Claræ-Vallensis vel alterius abbatis Bernardi, ignoramus; eum tamen publici juris facimus, quia valde devotus est.

Tractatum alterum *De laudibus B. V. M.* inscriptum ex alio codice chartaceo in quarto, ut vocant, sæculi XIV, exscribere necesse fuit. Hunc tractatum seu librum vidimus in Bibliotheca cœnobii S. Mariæ Magdalensæ ord. Prædic. Astæ, sign. N. A. B. C., num. 1. Num vero ejusdem sir vel alterius monachi desflorantis opera ejusdem, judicent critici.

LIBER DE PASSIONE CHRISTI

ET DOLORIBUS ET PLANCTIBUS MATRIS EJUS.

(D. Eugenius de LEVIS, *Anecdota sacra*, p. 60. Augustæ Taurinorum 178... 4°.)

702² Quis unquam regnans in cœlo sursum, vel peregrinans in terra deorsum, audiens vel mente pertractans quomodo *factus est opprobrium* (Psal. XXII, 7) ipse Dominus angelorum, et *abjectio plebis* (*ibid.*) Filius Dei Patris, et poterit lacrymas continere, vel ei enim erit impossibile flere? Verumtamen, tu, gaude, gaudio magno ab ipso (207), nunc glorifica in cœlis, quæ in mente clavis amarissimæ fuisti confixa suæ piissimæ mortis. Mihi tamen, obsecro, lacrymas illas infunde quas habuisti in sua passione, ut iis fluam largius.

De passione filii tui et Domini mei verba ad invicem conferamus.

Teneris promissionem reddere quam nobis superius promisisti. Memini te mihi in primo exordio nostri sermonis fuisse locutam de doloribus, quos ipsa portasti pro morte unigeniti tui, quia, ut au-

(207) *Credo et ipsum.*

divi, non modicum perturbatus cœpi quærere, dolens, qui essent illi tui sermones.

Cui ipsa dixit: Qui sunt isti sermones? Interim recogita in amaritudine animæ tuæ. De his in consequentibus ad invicem conferemus:

Enarra, te flagito, seriem veritatis, quæ mater es veritatis. Ad quem illa:

Illud quæris; caput et initium est magni doloris. Sed quia glorifica (208) flere non possum, tu cum lacrymis scribe quæ cum magnis doloribus ipsa persensi.

Cui, inquam, flere peropto, et nihil mihi aliud libet, da quod jubes, et præbe quod cupio.

Audi, ac servis tuæ dicat domina mea. Dic mihi si in Jerusalem eras, quando fuit captus filius tuus, et vinctus, et ductus, ad Annam tractus?

At illa: In Jerusalem eram, quando hoc audivi,

(208) *Glorifica, id est gloriosa, alibi glorificata.*